Q. D. B. V.

Solennibus Inauguralibus;

Quibus

Vir Excellentissimus, Experientissimus atq; Doctissimus,

DOMINUS

GEORGIUS PETRUS Schultz/

Philosoph. & Medicinæ Doctor

Meritissimus,

Nuperrime in Academia Regia Berolinensi
Professor Publ.

Anno Messiano MDCCXI. d. 22. Decembr.

Gymnasii Thorunensis Pro-Rector,
& Profess. Publ.

Publice constituitur,

Debiti officii & observantiæ declarandæ ergo,

Gratulabunda accedit

Literis ibidem operantium Corona.

THORUNII,
Impressit JOHANNES NICOLAI, NOB. SENAT. & GYMNASII TYPOGRAPHUS.

Assurge huic diei studiosa Juventus,
Quæ, ut firma stare possis, effecit:
Nam quod tua salus nitatur PETRIS,
Hoc illius beneficium.
Exulta Musarum Parnasse,
Veniente illa die,
Quam, antequam illucesceret, vidimus;
Præcurrente velocitatem Zodiaci, multo velociori
votorum orbita.
Scilicet
Impatiens moræ magnæ felicitatis expectatio
Sero venturæ lucis lætitiam mente præcepit.
Ita est:
Exortus nobis erat Sol, antequam exoriretur,
Et Sole hoc carentes, radiis ejus collustrati sumus.
Nimirum
Excellentissimi SCHULTZII Nomen,
Licet nostro nondum conspicuum Horizonte,
Claritatis suæ fulgore oculos præstringebat;
Et, utut involucris longi intervalli tectum,
Totam Pindi nostri simul replevit sphæram.
Nec mirum,
Major enim gloriæ, quam Solis lumen,
Nec ita illud, ut hoc, dimidio terminatur.
Quid enim ibi dimidium,
Ubi nihil imperfecti invenit locum?
Nemo dubitat,
Ad summum evasisse laudum verticem,
Quem,
Musarum futurum Præsidem,
solida Eruditio,
erudiendique incomparabilis Dexteritas, Fides, Industria
in Parnassum comitantur.
Sed non submittit se vulgari judicio hoc laudum
culmen,
Satius itaque tacendo loqui,
i. e. silentio testari,
Nostram dicendi vim eo sublimitatis haud sese

expor-

exporrigere.
Cedat sermo admirationi locum,
Admiratio venerationi,
Veneratio votis:
Vive, vige, flore
PATRONE æstumatissime,
Et, ut brevibus omnia complectamur:
Utere fortuna perpetuo virtutum simillima.

Hoc vovent ex animo
Curiæ Supremæ Auditores.

CUm Pandionias subiit Pompejus Athenas
Totius infractas post Orientis Opes:
Quemque Professorum fertur donasse talento
Quod prius in clara fecerat ipse Rhodo,
At tuus Adventus gazam majusque talentum
Advexit, doctis quam dedit ille viris;
Utpote Doctrinam, qua, *Vir Doctissime*, polles,
Quæ si sit, nullum Numen abesse potest.
Nam paucis tantum Pompejus munera præbet,
TU vero multis commoda ferre potes.
Ille Professores donavit munere tali
Quod quali casu cunque perire solet;
Sed TV nos cumulas tantis, *Doctissime*, donis,
Tempora quæ nunquam perdere longa queunt
Ad nostras quare sospes cum veneris Oras
Gratari nobis possumus atque TIBI
Sis facilis nobis, doctas qui Palladis artes
Instillas Musis ingeniisque piis
Quod superest læti Numen cœleste precamur
Vt velit inceptis rite favere Tuis
A Te quo semper præstans Heliconia turba
Ingenii multas carpere possit Opes.

Hisce paucis gratulabantur
Auditores Primæ Classis.

PRogenies veteri quondam de ſangvine Iudæ
Favit eis, quibus eſt curæ cordique juventæ
Tradere literulas vitæ & præcepta regendæ;
Illis hinc etiam proſpexit legibus amplis,
Queis illos ſatis eximio decoravit honore.
Dum clare ſanxit parili ratione verendos
Eſſe Magiſtros, quosque dedit natura parentes,
Caſibus ac etiam multis his prætulit illos:
Ordine quos longum foret hic adducere cunctos.
Magnus Alexander Macedo, licet Ethnicus eſſet
Haud aliter ſenſit, ſe plus debere Magiſtro
Qvam proprio patri ſtatuens, a quo tamen uſum
Vitæ, fortunas, regnum & diadema tenebat.
Doctorum nitidas auro Antoninus habebat
Effigies, ornans illorum floribus urnam
Cæſareum Numen, dederat cui Gratia nomen,
Officio Auſonium Romani Conſulis ornat,
Atque ſuo ſe Doctori debere fatetur
Tantum, quantum illi jam conceſſiſſet honoris
Numinibus, vitæque autoribus atque Magiſtris
Gratiam Ariſtoteles cenſet, non poſſe referri.
Verum non opus eſt, verbis hic pluribus uti,
Quippe Magiſtros eſſe verendos nemo negabit
Nec non mactandos & amore & honore parentum,
Ingenuis qui animos noſtros virtutibus ornant
Atque bonas artes & lingvas gnaviter urgent,
Ut dicantur ſic animorum jure parentes.
Hinc vereamur eos, voluit quos Jova Magiſtros,
Primitiasque novo nunc aſſignemus honorum
Doctori, varia qui dudum floruit arte,
Quique ſuis ſtudiis docto jam innotuit orbi.
Quare nunc aditum digno mactemus honore
Obſequiumque Tibi noſtrum mentemque dicemus,
Usque Tibi ſervet vultum fortuna benignum,
Noſtra ſalus ut Te ſemper Doctore vigeſcat,
Atque ſalus multum per Te quoque publica creſcat!

Sic gratulantur

Claſſis Secundæ Auditores.